



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1618. usque ad annum 1620

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1777**

**VD18 90118847**

§. 32. Pax inter Turcarum Imperatorem & Persiæ Regem.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67326](#)

Sæc. XVII. debita gratitudine compensando par fu-  
 A. C. 1618. turus esset. Hæc porro Protestantium  
 confilia luculenter eo tendebant, ut  
 Bohemici tumultus ope Cæsarem aut  
 omnino exauktorarent, aut Religionis  
 libertate armis extorta pacem nancisce-  
 rentur, qua Imperatorem facerent ser-  
 vum, & perpetuum suorum subditorum  
 mancipium: eo ex fine sua privilegia,  
 quæ per violentiam extorserunt, sem-  
 per latius, quam per Imperii leges per-  
 missum, extendere nitebantur; post-  
 quam enim se mera sectæ tolerantia con-  
 tentos fore simularant, paulo post æqua-  
 litatem cum Catholicis deposcebant, dein  
 nec hac contenti, conjuratione facta  
 Religionem Catholicam ex universa  
 Germania primum sub violatæ pacifica-  
 tionis obtentu, dein armorum potentia  
 extirpare moliebantur.

## §. XXXII.

*Pax inter Turcarum Imperatorem &  
Persicæ Regem.**Sagredo**Mem. de Mo-  
narch. Ot-  
tom.**Merc. Gal-  
lob. tom. 12.  
lib. 3.**Ludolff  
Schaubüh-  
ne cap. II.*

Postquam Mustapha ab Ottomanico  
 Solio in carcerem a Vezirio seu su-  
 premo militiæ Prætore retrusus fuerat,  
 Osmanes Achmetis filius natu maximus  
 per eundem Vezirium imperii guberna-  
 cula Mensi Januario cepit: Hic et si  
 duodecenni non major, ingenii tamen  
 tum

tum fervidissimi Princeps a rebellibus Sæc. XVII.  
 Hungaris Protestantibus sollicitatus, A.C. 1618.  
 Mehmetem Janissarorum Tribunum ad  
 Bohemos destinare Legatum, decreve-  
 rat; inde sparsus brevi rumor erat,  
 quod Acatholici in Bohemia Turcarum  
 Imperatorem ad faciendum in Hunga-  
 riā impetum literis suis sollicitassent,  
 & quamvis harum literarum exemplar  
 ad Cæsarem fuisset transmissum, hanc  
 tamen suspicionem Protestantes Bohe-  
 mi a se alienarē nitebantur, nullo alio  
 in sui defensionem allato argumento,  
 nisi quod *Religione sua prohiberentur, quo*  
*minus cum jurato Christiani nominis hoste*  
*consilia agitent, aut in Christianorum per-*  
*niciem eum excitent:* nihilominus Prote-  
 stantes Germaniæ Principes in Roten-  
 burgico conventu congregati in suis ad  
 Cæsarem literis insinuare haud dubita-  
 runt, quod si Cæsar Bohemicam expe-  
 ditionem intermittere neglexerit, peri-  
 culum foret, ne *Christianis in propria vis-*  
*cera sævientibus, & Hungarice propugna-*  
*culis omni apparatu bellico ad turbas istas*  
*adhibito nudatis, ad irruptionem facien-*  
*dam Turcis occasio præbeatur.* Ceterum  
 Osmanes nondum aperto bello Hunga-  
 ros Protestantes Regi suo rebelles de-  
 fendere, haud consultum arbitrabatur,  
 folio suo contra Persicam potentiam  
 necdum satis firmato; quocirca e Thra-

Sæc. XVII. cia & Natolia præprimis lectum vali-  
A.C. 1618. dumque exercitum adversus Schach-  
Abam Parthorum, Persidisque Regem  
emisit. Concursum quoque summis  
utrinque viribus est ad Ardavillam ur-  
bem, initoque prælio millia propemo-  
dum octoginta Turcarum, Persarum  
que promiscue deleta sunt, & quam-  
vis Turcarum clades longe major esset,  
nihilominus Persarum Rex suorum stra-  
ge perterritus, victoriæ suæ toties re-  
portatæ cursum ultro represit, pertur-  
batusque adversæ fortis metu pacem in  
posterum ab Osmane II. quæsierat, an-  
numque sericarum telarum tributum  
pendere promiserat: Hanc pacis con-  
ditionem Vezirius fastidiose trutinans,  
in interiora Persici Regni victricibus suis  
armis penetrabat, ubi tamen ingenti  
annonæ penuria pressus, pacem ea lege  
firmabat, ut Ottomanico exercitui Per-  
sarum Rex copiosam advehheret anno-  
nam: quo facto anno sequenti concor-  
dia utrinque stabilita est, interim vero  
Mogolis Rex Candoharam Metropolin  
Persis astu eripuit, & Turcarum Impe-  
rator magnam cladem a Melitensibus  
accepit. Hi enim cum duodecim navi-  
bus classem Turcicam ex Syria redu-  
cem aggressi, collectum undique tribu-  
tum trigesies centum milium aureorum  
cum opima præda interceperunt. Pau-  
lo post

lopost Osmanes ad Ludovicum XIII. Sæc. XVII.  
in Gallias Oratorem decrevit, ut ob A.C. 1618.  
Franciæ Legatum Constantinopoli a \_\_\_\_\_  
Mustapha male acceptum Regi satis-  
faceret.

§. XXXIII.

*Conspiratio contra Venetos feliciter  
detecta.*

Pacis inter Ferdinandum & Venetos Jæger. Hist.  
instauratæ primordia Reipublicæ Eccl. l. 8.  
oppido funesta accidissent, nisi inten- cap. 8.  
tatam perniciem Dei Providentia in Ferrer. cont.  
ipos mali machinatores detorsisset; tom. I. c. 2.  
quippe Jacobus Pierus natione Gallus, §. 135.  
patria Normanus, celeberrimus Pira- Zilio. p. 2.  
ta, homo ad quævis audenda procli- l. 1.  
vis, & ad omne periculum intrepidus Nanni Hist.  
flagrante Austriacos inter & Venetos pag. 186.  
bello Venetias venit, injuriam, qua se Venet. l. 3.  
ab Ossuna Fro-Rege Neapolitano affe- Brachel.  
ctum fingebat, ulturus: Hic obtentus Hist. l. 1.  
Venetis adeo spectabilis videbatur, ut  
hunc hominem ad sua signa reciperent,  
spe concepta, quod hic Pirata utilem  
adversus Austriacos atque Hispanos o-  
peram Reipublicæ præstare posset, præ-  
cipue cum præter plures naves insuper  
Longladam insignem pyrobolarium plu-  
resque magnanimos juvenes secum  
conduceret. Monebat Simeon Conta-  
rinus